



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

14. Mortificatio aliorum vitiorum linguæ.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55242

SEMITA PERFECTIONIS. 49

Abominatio hominum detractor. Proverb.
C. 24. 9.

II. *Cave, ut aut lingham, aut aures
habeas prurientes: id est, aut ipse alius de-
trahas, aut alios audias detrahentes.* S,
Hieron. ad Nepot. Epist. 8.

III. *Manus tua, Domine, me retrahat
ac teneat, ne in Satanicum detractio-
num barathrum incidam.* S. Chrysostom.
ad pop.

P A S S U S XIV.

Mortificatio & Fuga aliorum
linguæ viciorum.

T E X T U S.

*Qui custodit os suum, custodit
animam suam: qui autem
inconsideratus est ad loquen-
dum, sentiet mala.* Proverb.
C. 13. 3.

Cognitio.

RElqua linguæ vitia, ope examinis par-
ticularis, cum primis mortificanda,
sunt contentio, calumnia, duplicitas, gar-
C 2 su-

50 SEMITA PERFECTIONIS.

rulitas , mordacitas , adulatio , imprecatio , secretorum revelatio , murmuratio , susuratio , & contemptus aliorum .

Consideratio motivorum.

Quandoquidem maxima est linguam ritè gubernandi difficultas ; ei maximam quoque vigilantiam & custodiam adhibendam esse , quis non videt ? *Linguam nemo hominum domare potest* , ait S. Jacobus c. 5. v. 8. utpote , quæ est *inquietum malum , universitas iniquitatis , plena veneno mortifero*. Quis igitur sibi fidat ? Displacent autem & repugnant peccata linguae i. Deo Patri , qui membrum illud ad se laudandum nobis concessit , & nos illo abutimur. Illo , ut inquit idem S. Jacobus , Deo benedicimus , & proximo maledicimus , qui ad imaginem DEI factus est. ii. Repugnant & displacent DEI Filio , qui toties in SS. Eucharistiae Sacramento linguam nostram tangit , & sanctificat ; quam nos toties rursum profanamus. iii. Repugnant ac displacent Spiritui Sancto , qui super Apostolos in forma linguae igneæ apparuit. O quam ergo malum est , & noxiūm , non custodire linguam suam ?

Petitio.

Domine , cujus est gubernare linguam ,
pone

SEMITA PERFECTIONIS. 51

pone custodiam ori meo , & ostium circumstantiæ labiis meis , ut non declinet cor meum in verba malitiæ ; quibus Patrem , & Filium , & Spiritum sanctum offendam , eisque displiceam.

Aspirationes.

I. Verbis eius facito statuam , & frœnos ori tuo rectos : & attende , ne forte labaris in lingua. Eccli. c. 28. 29.

II. Domine refugium meum : da quod jubes . & jube quod vis . Tu nōsti de hac re geminum cordus mei , & flumina oculorum meorum . Ait S. Augustinus L. 10. Conf. loquens de linguae continentia.

III. Dixi , custodiam vias meas , ut non delinquam in lingua mea. Psal. 38.

P A S S U S XV.

De Mortificatione Superbiæ.

T E X T U S.

Superbiæ nunquam in sensu tuo dominari permittas : ab ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Tob. c. 4. 14.